



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

8. An Principes habens iustam causam inferendi bellum, si ex illo tamen in
perniciem Regnorum maxima damna timerunt, possit adhuc illud indicere?
Et an in tali casu Princeps teneatur ad ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

RESOL. VIII.

An Princeps habens iustam causam inferendi bellum, si ex illo tamen in perniciem Regnorum maxima damna timerentur, possit adhuc illud indicere?

Et an in tali casu Princeps teneatur ad restitutionem?

Et an illicite moueatur bellum, si minima adsit spes victoriae, vel an requiratur moralis certitudo victoriae, ut bellum possit indicere? Ex p. 6. tr. 4. Res.

§. 1. **R**espondeo negativè: & idèd Villalobos in *Summa*, tom. 2. tract. 5. difficult. 4. numer. 3. sic ait. *Aduerfate que podrá acontocer alguna vez que dando guerra iusta al enemigo, sea iniusto el Principe con su propia Republica, y es quando viene à ser maior el daño que su Republica recibe à arbitrio de hombre prudente, que el provecho, como aconteco tambien en los pleytor.* Ita ille. Et ante illum Molina de *iustitia*, tom. 1. tract. 2. disputat. 102. ubi ita affert. Illud etiã est animaduertendum Principem in Bello inferendo non minus posse esse iniustam aduersus suam Rempublicam, quam aduersus alienam, cui illud inferre parat. Ea que de causa non solum illi esse attendendum, an habeat iustam belli causam aduersus alienam Rempublicam: sed etiã an iustus sit aduersus suam eiusmodi bellum mouendo. Etenim si prudenter arbitrio, tale bellum futurum est in detrimentum maximum suæ Republicæ: quia vires non habeat ad superandū, vel quia cum modico suæ Republicæ, bonique communis emolumento, subditos suos maximis periculis & detrimentis exponet redditus publicos in eo insulmet, Rempublicam nouis tributis & exactionibus grauabit, &c. sane culpa erit lethalis contra iustitiam aduersus suam Rempublicam eiusmodi bellum suscipere. Hæc Molina. Quæ vtinam à Consiliariis Principum perpendere: nam licet à principio ex aliqua iusta causa forsitan bellum fuisset licitè indicendum; tamen post multos annos ad pacem res redactæ populi & regna exhausta & euerfa penitus inveniuntur: Vnde magis expediens fuisset pro Republica bellum non incipere, quam etiã cum victoria illud determinare. Vnde Castrus Palaus tom. 1. tract. 6. disputat. 5. punct. 3. numer. 18. docet bellum esse illicitum, & contra iustitiam etiã stante iusta causa bellandi, si damna, quæ ex bello sequuntur Republicæ præualeant vtilitati victoriae speratæ. Et ideo idem Palaus loco citato numer. 2. Valentia tom. 3. disputat. 3. quest. 16. punct. 2. & alii docent ad bellum iuste inferendum non sufficere omnem iniuriam; sed quæ vel absolute vel ob aliquas circumstantias sit vel maior, vel certè non minor, quam damna, quæ solet bellum afferre. Et à fortiori ex supradictis sequitur reuocanda adnotasse Coninch. disputat. 31. de bello, dub. 4. numer. 73. & alios illicite moueri bellum, si minima subit spes victoriae. Vnde Caietanus in 2. 2. quest. 96. art. 4. affirmat requiri moralem certitudinem victoriae, vt bellum possit indicere. Sed Palaus tom. 1. tractat. 6. disputat. 5. punct. 3. numer. 17. docet sufficere certitudinem probabilem. Suarez verò disputat. 31. de obritate, sect. 4. in fine, putat omnia pensanda esse, & videndum, an spes victoriae præualeat damnis quæ timeantur: nam si spes præualeat, tentari bellum poreit, sin minus, cessandum, à bello.

2. Sed an in tali casu Princeps teneatur ad restitutionem, non concordant Doctores, & idèd apud

Tom. VII.

ponam hic verba Petri Lorca in 2. 2. *Diui Thome*, sect. 3. disputat. 53. numer. 8. ubi sic ait. Dubium est, verum si Princeps inferat bellum ex causa iusta, & seruatis aliis conditionibus, imprudenter tamen, quia pro statu rerum moraliter certum est plus damni & detrimentorum suæ Republicæ, & subditis vel aliis euenturum, quam futura sit bñi vtilitas, incurrat obligationem reparandi ea damna, quæ suis vel aliis proueniunt: Victoria numer. 33. & Molina disputat. 102. indicare videntur, hunc Principem teneri debito restitutionis. Sed non assentior. Quoniam in eo casu Princeps tenetur à bello desistere: non obligatione iustitiæ, sed charitatis quatenus tenetur minus bonum suum postponere maiori bono alterius; Charitas autem non inducit restitutionis debitum. Ita Lorca.

RESOL. IX.

An post inchoatum bellum, si alius Princeps offerat condignam satisfactionem, bellum adhuc proseguere quis possit? Ex punct. 6. tract. 4. Res. 8.

§. 1. **P**rima opinio affirmat. Ita Bañez in 2. 2. quest. 40. art. 1. dub. 8. & Caietanus in *Summa* verb. *Bellum*, quia post bellum inceptum inimici non sunt in statu satisfaciendi, sed satisfaciendi. Et hanc sententiam probabilem existimat Emanuel Sa verb. *Bellum*, numer. 9. & Villalobos in *Summa*, tom. 2. tract. 5. difficult. 4. n. 5. ubi sic ait. *Otros dicen y muy prouablemente, que quando esta comenzada la guerra, y ay muertes de ambas partes, no esta obligado el Principe à aceptar la satisfacion del enemigo; sino que puede proseguir la guerra.* Assi lo tiene Caietano, y dize Bañez, que es lo mas prouable. El fundamento es, porque el que de la guerra iusta, ya es juez respecto de su contrario, en defecto de superior, y el juez no está obligado à aceptar la satisfacion del reo. Ita Villalobos.

2. Secunda opinio negat, ita Suarez, Molina, Valentia, & Coninch, quos citat & sequitur Castrus Palaus tom. 1. tr. 6. disputat. 5. punct. 3. n. 14. Quibus adde Reginaldum tom. 2. l. 21. cap. 8. n. 101. Et ratio est quia, vt supra ex Diuo Augustino probatum est, bellum non voluntate, sed necessitate suscipitur sed cum debita satisfactio offertur, cessat omnis necessitas bellandi. Ergo contra iustitiam peccas, si tunc bellum prosequaris. Aduerto tamen sub debita satisfactioe comprehendere, vt non solum tibi reddantur omnia illa quæ tua sunt, sed etiã soluantur expensæ in bello factæ, & pericula & molestiæ, quibus te & tuos exposuisti, & iniuriæ factæ compensentur. Quia cum ad hæc omnia ius habeas, omnia hæc compensari debent; priusquam teneatis à bello cessare. Et insuper petere potes, quicquid in posterum tibi necessarium est, vt securè viuas, & pacem obtineas, quia hic est præcipuus belli scopus. Et hanc sententiam docet etiã Becanus in 2. 2. cap. 25. q. 9. n. 4.

3. Mihi verò placet opinio distinguendum. Aut enim ait Lorca in 2. 2. *Diui Thome* disp. 57. n. 12. agitur de sola recuperatione possessionis, & tunc non dubito oblata possessione, & compensatione sumptuum, ex iustitia debitum esse à bello desistere: quia ex iustitia nihil ampliùs bello peti poterat, quam quod sine bello offertur. Aut agitur de vindicatione iniuriæ; & tunc nõ inuenio obligatione iustitiæ, quæ constringat à bello cessare satisfactioe contempta: quia iniuria iuste merebatur pœnã belli, & idèd inferendo bellum, nihil contra iustitiam agitur: relaxare autem penam debitam

K K 2